



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

31. Primum Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Episcopum Apamiensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

mone conscriptum Parisijs huc usque transmissum est; sufficit inquam, Beatissime Pater, ut omnia impendam, & ipse superimpendar, si Deus Optimus Maximus, sicut desiderium suggessit, ita vires subministret. idque Vestra Sanctitas suis precibus impetret.

Dabit, Beatissime Pater, veniam Sanctitas Vestra, si res tanti momenti, cuique aliunde remedium, quam à Sanctissima Sede non possit adhiberi, breviori Epistolâ non potuit exponi. Scio Sanctitatem Vestram plurimis iisque gravissimis negotijs distineri; sed cum Rex Christianissimus invictissimas rationes & humillimas preces (ue causâ meritum postulabat) non audierit, ad solitum afflictorum Episcoporum præsidium recurrendum fuit; nec vanam fore spem, licet secus vociferentur adversarij, ut & meum & aliorum Episcoporum frangant animum, confidit.

Datum in Ædibus B. Mariæ de Sabart. Die 8. mensis Novemb. anno verò 1678.

BEATISSIME PATER,  
Sanctitatis Vestræ

*Humillimus & obedientissimus in Christo  
Filius & famulus*

Franciscus Episcopus Apamiensis.

## Documentum XXXI.

Primum Breve Sanctissimi D. N. INNOCENTII  
Papæ XI. ad Illustrissimum & Reverendissimum  
Episcopum Apamiensem.

Venerabili Francisco Episcopo Apamiensi  
INNOCENTIUS Papa XI.

Venerabilis Frater, salutem & Apostolicam benedictionem. Molestiarum & incommodorum, quæ pro  
tuendis

## 310 Dissert. I. § VIII. Documenta ex Gallico

tuendis juribus Ecclesiæ tibi commissæ sustinere te scribis, Nos quoque maximam in partem venimus, ad quos in primis pertinent damna & offensa, quæ Christi Dei inferuntur. Gratulandum tamen potius, quàm dolendum est, fraternitati tuæ, de hujusmodi adversis, ex quibus copiosa tibi seges enascitur exercendæ virtutis & constantiæ Pastoralis; cui quidem magno incitamento & pari solatio esse non dubitamus Dei promissum, tribulationem pro ipsius causâ patientibus caelestem opem, ac tandem mercedem magnam nimis non defuturam. Quod ad Nos atinet, Regem Christianissimum per litteras diligentissimè scriptas rogavimus, ut non solum Apamiensis Ecclesiæ indemnitati consultum velit, sed etiam omnium aliarum Ecclesiarum, quæ cum juri, quod vocant Regaliæ, obnoxiiæ nunquam fuerint, recentibus tamen Regij senatus decretis contra omnes humani diviniq; juris regulas, ac veterem inconcussamque observantiam, hujusmodi onus subire coactæ sunt. Id ipsum omni contentione ac studio urgere non desistemus, sicubi Officij Nostri ratio, & imposta Nobis omnium Ecclesiarum sollicitudo postulat, confisi in divinæ misericordiæ thesauris, aliquando fore, ut idem Christianissimus Rex pro eximia atque avita pietate sua, rei veritate melius cognitâ, alia consilia, aliam mentem induat. Fraternitati interim tuæ Deum totius consolationis propitium usque precamur, ac peculiaris Nostræ erga te charitatis indicem Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 4. Januarij 1679. Pontificatus Nostri anno tertio.

Marius Spinula.

Docu.